

www.e-rara.ch

Philosophus irresolutus, sive, Quaestiones universae philosophiae principales

Walser, Iso

[Sankt Gallen], anno 1748

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRM 248

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-28721>

Quaestio XIV. An potentiae realiter distinguantur ab anima?

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

nervorum organis ; in imperfectis
verò residet *vel* in toto corpore , *vel*
in spina medullari.

Fundam. Sent. 1. Anima bruti est
forma materialis , dependet à mate-
ria in esse , & operari, educitur è po-
tentia materiæ , & habet quantitatem,
ergò est divisibilis.

Fundam. Sent. 2. Anima est actus
corporis perfectè organici, sed nulla
pars *divisivè* sumpta est corpus per-
fectè organicum, ergò anima partem
non *divisivè* , sed *collectivè* tantum sump-
tam informat.

QUÆSTIO XIV.

*An Potentia realiter distinguantur
ab anima ?*

SENTENTIA I. Negans. Ita
Ocham. in 2. d. 10. q. 24. & 26.
Rhod. hîc d. 15. q. 3. f. 1. Gab. in
2. d. 16. q. unic. concl. 2. Hurt. d. 4.
de an. sect. 4. n. 63. Arriag. hîc d.
3. f. 3. n. 118. Oviedo hîc contr. 3.
p. 2. n. 8. Compton. hîc d. 12. f. 2.
Calagurritan. tract. 2. de anim. disp. 4.
cap. 1. Amort. phys. part. p. 3. q. 7.
X 3 Card.

Card. Ptolemæus *phys. part. de corp. an. m. diff. 1. n. 8.* P. Hofer negat distinguere ab anima potentias *quoad id, quod dicunt in recto*; affirmat verò *quoad id, quod dicunt in obliquo*. Ita in *prompt. phil. p. 3. contr. 14.*

FUNDAMENTA.

1. Videtur, quòd nulla sit necessitas *realis* hujus distinctionis; ergò non est admittenda. *pr. 4. Tum*, quia ipsæ potentiae immediatè emanant ab animæ essentiâ; ergò eadem etiam poterit immediatè elicere suas operationes. *Tum*, quia substantia potest esse immediatè operativa. *Videatur questio hæc fusiùs tractata in Physica univ.*

2. Potentia passiva non distinguitur à materia prima; & accidens est sua virtus *activa*; ergò etiam potentia *activa* non distinguetur ab animæ essentia, ipsaque erit sua virtus productiva.

2. Ideò substantia non est immediatè operativa ad *extrà*, quia nulla agit, nisi affecta sit suis accidentibus; quod docet experientia; ergò anima poterit esse immediatè operativa ad

intrà, quia nullâ experienciâ constat ,
substantiam non immediatè operari
ad intrà.

3. Potentiæ non possunt realiter
separari ab anima , & quidem nec di-
vinitus ; ergò realiter non distingu-
untur ab ea. *pr. cons.* non potest osten-
di ratio, cur DEus debeat produce-
re, & conservare potentias , si pro-
ducat, & conservet entitatem animæ,
cùm *realiter* distinguantur.

Confirm. 1. DEus potest producere
substantiam sine omni alio superad-
dito, & realiter distincto; ergò etiam
poterit producere substantiam ani-
mæ, nudatam ab omnibus acciden-
tibus realiter distinctis.

Confirm. 2. Habitus supernaturales,
v. g. fidei &c. idèò realiter distin-
guuntur à gratia , quia realiter pos-
sunt separari ; ergò potentiæ ab ani-
ma realiter non distinguuntur , quia
realiter non possunt separari.

4. Si potentiæ realiter distinguun-
tur ab anima , ergò etiam inter se ,
nisi velis admittere mysterium ; ergò
voluntas , v. g. non potest aliquid
appetere. *pr. ult. cons.* nil volitum ,

nisi cognitum, sed voluntas non est cognoscitiva rei; ergò nec appetitiva.

5. Ex hac distinctione reali potest inferri *potentia potentia*. ergò non datur. *pr. ant.* anima est domina suorum actuum, ergò potest facere, ut, v. g. voluntas exeat in actum, vel non; sed non potest immediatè, ergò per aliam potentiam distinctam. Quomodò enim potest, nisi velit? quomodò vult, nisi per voluntatem? & en voluntas voluntatis! quid demùm? sufficit malitia unius; ne plures desideres.

6. Si anima non immediatè influit in suos actus, sequitur illam non peccare, sed hoc est falsum: ergò. nemo peccat per id, quod non potest impedire, sed voluntas non potest impedire, ne potentia à se realiter distincta exeat in actum. ergò. Non potest impedire 1. Omittendo sustentationem, & conservationem voluntatis, quia hoc facit necessariò, sicut aqua non potest impedire emanationem frigoris. Non 2. dene-gando voluntati suum concursum; sic jam concederetur immediatus in-
flu.

fluxus. Nec 3. imperando voluntati, ut abstineat ab actu malo; quod æquè abhorrent Aa.

Confirm. Nemo peccat per actionem alterius realiter distincti, ipso non consentiente, sed stante reali distinctione potentiarum in anima hoc contingeret. ergò. *pr. m.* vel enim consentiret *mediate*, vel *immediate*: non primùm; quia consensus fit per voluntatem; ergò debet voluntati consentire per aliam voluntatem; sic incurrimus *argument. 6.* si secundùm; ergò habemus intentum.

7. Non requiritur nova, & distincta potentia ad apprehendendum, judicandum &c. ergò nec ad intelligendum &c.

8. Dantur operationes vitales, sed non darentur, si anima mediatè tantùm influeret in suos actus; ergò. *pr. m.* operatio vitalis debet procedere à principio vitali; sed sola anima est principium vitale; ergò, ut operatio sit vitalis, ab ea procedat necesse est; ad quid ergò potentia illa?

Dices: Animam esse principium *radicale* solummodò, & hoc sufficere.

Contrà : illud est verum principium vitale, quod verè influit in operationem vitalem; sed anima, ut realiter distincta à sua potentia non verè influit; ergò non est verum principium vitale. *prob. m.* quod nil agit, non verè influit, sed anima, ut distincta à potentijs nil agit; ergò non verè influit.

9. Si anima ipsa immediatè non influit in actum, v. g. amoris, sequitur, quòd nil omninò agat, sed sit otiosa, sed hoc est absurdum. ergò *prob. seq. ma.* quod nunquam mutatur, movetur, sed eòdem semper modò se habet, nunquam propriè agit; sed anima nunquam mutatur, movetur, & eodem modo se habet ante, ac post operationem; ergò nil agit, sed actio torpescit.

10. Absurdum est, animam non posse puniri propter operationes malas; sed, si potentiæ ab ea realiter distinguerentur, non posset puniri; ergò *pr. m.* illud solum potest puniri, quod malè agit, sed sola voluntas realiter ab anima distincta malè agit; ergò hæc sola potest puniri, non verò

rò anima. *prob. m.* illud solum malè agit , quod liberè influit in actum malum , sed sola voluntas liberè influit in actum malum ; ergò sola voluntas malè agit ; ergò hæc sola punietur : sic etiam econtrariò sola præmiabitur ; cur enim anima , quæ non compatitur , conglorificetur ?

II. Si intellectus realiter distinguitur ab anima , ergò anima *proprie* intelligit. *prob. seq.* ut *proprie* intelligat , debet saltem *mediate* influere in actum intellectûs , sed nec *mediate* influit ; ergò. *pr. m.* non influit in ipsam potentiam , ergò nec per hanc influet in actum , est enim imperceptibile , ut principium aliquod influat *mediate* in effectum , si non influat in ipsum *medium* , sic pictor debet prius influere in penicillum , antequam *hoc mediante* influat in picturam.

RESPONSA Aa.

Ad 1. *Neg. ant. ad pr. 1. con. ant. & neg. conf.* Quia emanatio potentiarum non est emanatio *connexionis* ; emanatio verò operationum est *causalitatis* , quæ fieri non potest , nisi *medi-*

d. antibus potentijs superadditis. *ad pr. 2. neg. ant.* stat enim sententia contraria.

Ad 2. Con. ant. neg. conf. Constat enim satis, & experienciâ, & ratione.

Ad 3. Con. ant. & neg. conf. & ejus prob. Sic DEus potest creare materiam primam, & tamen non potest eam conservare, ac separare ab omni forma, plura possent adduci exempla.

Ad confirm. 1. D. ant. Si ejus dependentia tantum sit *connaturalis*, con. si sit etiam *essentialis*, neg. ant. & conf. DEus enim non potest ponere rem sublatâ ejus essentiâ, aliàs posset contradictoria, cum ergo potentiæ essentialiter dependeant ab anima, DEus non potest facere, ut maneant potentiæ, & tamen non dependeant.

Ad Confirm. 2. Neg. ant. licet enim habitus fidei realiter distinguatur à gratiâ, non ideò tamen, quia possunt separari; cum multa, ut dictum, realiter distinguuntur, tametsi non possint separari, patet etiam in Divinis.

Ad 4.

Ad 4. *Neg. ult. conf.* Ad prob. d. maj. nil volitum, nisi cognitum ab eadem potentia, neg. ab eodem supposito, siue principio ut quod, con. eadem enim anima per intellectum cognoscit, quod per voluntatem appetit.

Ad 5. *Neg. ant. ad prob. dico,* quod anima licet non sit domina suorum actuum immediatè, est tamen mediatè; sic v. g. impedit actum amoris mediante intellectu, quem non applicat ad cognoscendum objectum, quod sufficit.

Ad 6. *Neg. seq. Ad prob. d. ma.* nemo peccat &c. nisi possit impedire vel *per se*, vel *per aliud*, con. , nisi possit impedire *per se*, possit tamen impedire *per aliud*, neg. *dist. m.* voluntas non potest impedire *per se*, con. non potest impedire *per aliud*, scilicet non applicando potentiam &c. neg. ad probationes neg. suppositum: supponunt enim requiri, ut voluntas *per se*, & immediatè influendo impediatur actum peccaminosum; quod falsum est; sufficit.

ficit, ut per suas potentias (eas nimirum non applicando) impediat.

Ad Confirm. dist. ma. nemo peccat &c. per actionem alterius tanquam principij *ut quod* realiter distincti, tr. tanquam principij *ut quo*, constituitur aliud principium *ut quod* neg. ma. & sub ead. dist. m. neg. conf. ad contr. dico quod anima ideò peccet, quia pereasdem potentias, per quas nunc exercet actum malum, potuisset exercere actum bonum.

Ad 7. Con. ant. & neg. conf. cum enim sint actus subordinati, reducuntur ad unicam potentiam, sicut omnes visiones reducuntur ad unicam potentiam visivam.

Ad 8. Con. ma. neg. m. *Ad prob. d. m.* sola anima est principium *radicale*, & *mediatum*, con. *formale*, & *proximum*, neg. *ad inst. dist. ant.* illud est &c. quod verè influit, vel *per se*, vel *per aliud*, con. quod verè influit *per se tantum*, subdist. est principium *radicale*, & *remotum*, neg. *formale & proximum*, con. *ma. dist. m.* non verè influit *per se*, & *immediatè*, con. non verè influit per potentias sibi connatu-
rales

rales, neg. m. & dist. conf. ergò non est principium &c. *radicale*, neg. *formale*, con. supponunt semper Aa. mediatè agere, non sit verè agere; sed supponunt, non probant: idem dicendum ad probationem.

Ad 9. *Neg. seq. maj.* Ad prob. dist. maj. quod nunquam mutatur &c. non *proprie*, i. e. *per se* non agit, con. non *proprie*, i. e. *nec per aliud*, neg. tr. m. dist. conf. ergò nil agit, i. e. *per se*, & immediatè, con. nil agit, i. e. *nec mediatè*, & per potentias suas. neg. conf. eodem semper supposito laborant Aa. ut priùs dictum.

Ad 10. *Con. maj. neg. m. ad prob. neg. m. ad hujus prob. con. maj. & neg. m.* non enim sola voluntas, sed anima per voluntatem exercet actum liberum, cum voluntas ex se non sit sufficiens ad producendum actum, nisi dependenter ab anima tanquam principio *radicali*.

Ad 11. *Neg. seq. ad prob. con. maj. neg. m. ad hujus prob. con. ant. & neg. conf.* quia non requiritur, ut priùs influat in ipsam potentiam, cum potentia sit ipsa

ipsa virtus animæ immediatè operãtiva , procedens ab anima tanquam radice , & origine alioquin esset virtus , & non esset; esset , ùt supponitur , non esset , quia deberet primùm illam recipere ab anima per aliquid superadditum. Quod verò additur de pictore , magna est disparitas , penicillus enim est instrumentum ùt quod , adeoque causa principalis debet in illud influere. Potentia verò , v. g. voluntas est instrumentum , ùt quo mediante anima producit actum amoris. Imò quæro , utrum pictor debeat influere in illum impulsus , quem primit penicillo , & quo mediante eundem dirigit. Jam quod ille impulsus respectu pictoris , hoc sunt potentiæ respectu animæ. Nec hæc potest operari sine potentijs sibi superadditis , nec ille sine impulsu , penicillo impresso.

SENTENTIA II. Affirmans. Itã Albert. M. in 1. dist. 3. art. ult. & l. 2. de an. q. 7. Alenf. in 1. q. 65. membr. 2. Suar. l. 2. de an. c. 2. Henricus quodl. 1. q. 9. Tolet. 2. de an. q. 9. Vasq. 1. p. diss. 195. c. 1. Confirm-



nimbr. *hic c. 3. q. 4. a. 2.* Card. de Aguirre *hic disp. 83. f. 1.* Joan. à S. Thom. *q. 12. de anim. a. 2.* Complut. *disp. 10. physic.* Babenstuber. *lib. de anim. disp. 1. art. 5. f. 2.* Murcia *lib. 2. disp. 2. q. 1.* Valentia *1. p. disp. 6. q. 3. punct. 2.* Molina *1. p. quæst. 14.* Maurus *l. 4. q. 30.* Wenzl *de an. controuv. 4. q. 1.* Renz *lib. de an. q. 4. a. 2.* Card. Sfondrati *l. 3. phys. f. 2. n. 10.* Musæum Peripath. S. G. *tract. 2. de anim. f. 1. q. 5.* & est communior Th. Th. Duce Doctore Angelico, ac faciem fidelis doctrinæ *1. p. q. 77 a. 1. & q. 54. a. 3.* discipulis suis præferente, ne à via veritatis aberrarent, siquæ recidivi fierent.

FUNDAMENTA.

1. Substantia, & accidens non possunt esse idem, sed essentia animæ est substantia, potentia verò accidens; ergo non sunt idem.

2. Si potentiæ identificantur cum essentia animæ, tunc dabitur volitum; quod non est cognitum, sed hoc est falsum, ergo & illud. *prob. seq. maj.*

Y

quia

quia non est ratio , cur non possit elicere actum amoris , licet non eliciat actum intellectus , cum per se , & immediatè influat in ipsum amoris actum : nec *obstat* , quod voluntas utpote cæca , indigeat ductore ; nam anima , cum sit juxta Aa. immediatum , & adæquatum intelligendi principium , non potest cæco modo procedere.

3. Nulla substantia est immediatè operativa , sed , si potentiæ ab anima realiter distinguerentur , substantia animæ esset immediatè operativa ; ergò. vide in phys. univers.

4. Anima non est principium immediatum actuum supernaturalium , ergò nec naturalium. *prob. ant.* nam 1. Non est causa *instrumentalis* , cum sit perfectior eis actibus , nec 2. potest esse causa principalis , cum sit inferioris ordinis , quàm effectus. ergò nullo modo immediatè influit.

5. Gravitas , & levitas realiter distinguuntur à corpore gravi , & levi , ut patet in S. Euch. ergò etiam voluntas , v. g. ab anima. *prob. cons.* sicut corpus mediante gravitate produ-

ducit motum deorsùm, sic anima mediante voluntate producit amorem. ergò sicut illa, & hæc erit realiter distincta à sua substantia.

6. Absurdum videtur, hominem intelligere per voluntatem, & velle per intellectum; hoc autem sublatâ distinctione reali potentiarum fieret; quæ enim sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, cùm ergò voluntas, & intellectus sint idem cum anima, erunt etiam idem inter se, & sic per intellectum poterimus velle, per voluntatem intelligere.

7. Anima ex se est indifferens ad intelligendum, & volendum, ergò debet determinari per aliquid distinctum superadditum; sed non per aliud, nisi per potentias, ergò dantur.

RESPONSA Aa.

Ad 1. d. maj. Substantia, & accidens *physicum* non possunt esse idem, con. *metaphysicum*, subd. non possunt esse idem *realiter*, neg. *formaliter*, con. maj. dist. 2. membr. m. est accidens *physicum*, neg. *metaphysicum*. con.

Y 2.

Ad 2.

Ad 2. Dist. ma. dabitur volitum, quod non est cognitum per eandem potentiam *realiter*, & *fundamentaliter* sumptam, neg. quod non est cognitum per potentiam *formaliter* tantum distinctam, con. eadem anima, & vult, & cognoscit; sed sub diversa formalitate; vult, ut appetitiva, cognoscit, ut intellectiva-

Ad 3. *Resp. 1.* Neg. ma. ut enim contraria sententia. *Resp. 2.* dist. ma. nulla &c. est immediatè operativa *ad extrà*, tr. *ad intrà*, neg. ma. & sub ead. dist. m. & conf. ex hoc enim nullum desumi potest argumentum.

Ad 4. *Resp. 1.* Neg. ant. Ad prob. dico: si Aa. per causam principalem intelligant eam, quæ nullo modo indiget elevatione; haud dubiè non erit principalis, sed instrumentalis; si verò dicant causam principalem esse, quæ vel majoris, vel saltem æqualis perfectionis est cum effectu, etiam si indigeat elevatione, tunc erit causa principalis, cum sit perfectior quam actus. *Resp. 2.* Hoc argumentum probare etiam, animam neque partialiter influere in actus super-

pernaturales, quod videtur valdè absurdum. *Resp. 3.* Idem dici posse de voluntate distincta, ut patet.

Ad 5. Respondet 1. Arriaga negando, quòd gravitas, & levitas sint qualitates distinctæ à corpore gravi, vel levi. 2. *Resp. con. ant. & neg. conf. ad prob.* dico hoc argumentum nimium, & consequenter nihil probare; probat enim, quòd sicut qualitas v. g. gravitas divinitus separata à corpore tendit ad suum centrum: ita voluntatem separatam ab anima posse operari, quòd videtur esse valdè inconveniens, deinde disparitas est, quia illæ operationes sunt ad *extrà*, hæverò ad *intrà*.

Ad 6. *Resp. 1.* Idem argumentum solvendum esse in divinis. *R. 2. Animal, & rationale* sunt idem, nec tamen dici potest; *homo sentit per rationale, & per animal discurrit* *Resp. 3. dist. ma.* absurdum &c. velle per intellectum *materialiter, & identicè*, neg. *formaliter*, con. vide respons. ad 2.

Ad 7. *Resp. 1. retorq. arg.* Anima ex se est indifferens ad apprehendendum, vel judicandum, ergò indige-

bit potentia distincta. *Resp. 2. neg. m.* Determinatur enim per aliud, & quidem ad intelligendum per *species*, ad volendum per *cognitionem*, & sic non indiget illis potentijs distinctis.

Fund. princip. Sent. 1. Nulla est necessitas distinguendi potentias ab anima, cum substantia sit *immediatè* operativa saltem ad *intrà*, nec anima esset, quæ intelligeret, amaret, sed aliud ens ab anima realiter distinctum; possëtque voluntas amare sine anima, utpote separabilis ab ea, quæ omnia vix ullus admitteat.

Fund. Sent. 2. Nulla substantia operatur, nisi affecta accidentibus, quæ illi debentur, & dantur à natura; ut experienciâ constat; ergò etiam anima non amabit, nisi per voluntatem realiter distinctam, aliàs enim posset amare per intellectum, intelligere per voluntatem, cum sit eadem essentia utriusque. *Adde*; si anima esset principium *immediatè* operativum, specificaretur ab operatione; cum verò specificari non possit ab aliquo extrinseco, cum eadem operatione deberet identificari, adeoque esset actus purus.

PARS IV.